

Reinhard Heinrich Roll

De Potioribus Disputandi Methodis, Qua Ad Collegium Disputatorium Heptades ... invitat

Rostochii: Typis Joh. Weplingi[i], Anno MDCCX

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002658802>

Druck Freier  Zugang



DE
**POTIORIBUS
 DISPUTANDI
 METHODIS,**

QUA AD
**COLLEGIUM
 DISPUTATORIUM
 HEPTADES**

EX UNIVERSA PHILOSOPHIA, PHILOLOGIA
 ET HISTORIA SELECTAS

complexurum

NOBILISSIMOS DNN. COMMILITONES

humanissimè invitat,

DISSERTATIUNCULA

**M. REINHARDI HEN-
 RICHI ROLLII,**

WESTPHALI.

ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGI, SER. PRINC. & ACAD. Typogr.

ANNO MDCCCX.



1710



Q. D. B. V.



Exercitationum in thesi spectatarum utilitatem qui post tot eruditorum operas demonstrare amplius aggreditur, soli facem accendere videtur. Tantæ enim res est certitudinis, ut à nemine sanæ mentis in dubium vocari possit. Provocamus tunc ad experientiam, optimam rerum magistram: quæ evidentissimè confirmat, disputandi exercitiis crebrò institutis loquendi promptitudinem comparari, acui ingenium, iudicium excitari & confirmari, explorari vires discique aded

- - quid valeant humeri quid ferre recusent,
ac tandem, quod palmarium primoque erat loco commemorandum, veritatem quæ in se pretiosa est obtineri. Lege ex innumeris Magnif. D. Quistorpii, Præceptoris nostri suspicendi, *Programma Collegio Disputatorio exhibenti Theses ex universa Theologia selectas* CID IDCXCVIII. præmissum & God. Weissii incluti quondam hujus Academiæ Professoris *Discursum Academicum* quo ostenditur, *fructuosam docendi rationem disputandi exercitio carere haud commode posse*, CID IDCXCII. Quo verò modo instituenda sint exercitia disputatoria nec olim fuit nec hodie est una omnium sententia. Indicio sunt varii à variis excogitati disputandi processus: quos olim laudabili industria in Academia Salana investigavit celeb. Jo. Andr. Schmidius pec. *disquisitione de diversis disputandi processibus* inscripta, & post eum prolixiori operâ Joh. Fridem. Schneiderus JC. & Philosophus Halensis *Dist. de variis argumentandi methodis veterum ac recentiorum Philosophorum*. De singulis non vocat nobis nunc esse sollicitis, quibus

quibus hodie tantum receptos differendi modos penitus paulò constitutum est inspicere, quales sunt methodus per continuam orationem, per dialogos, & per syllogismos.

Et primò quidem *disputatio per orationem continuam* dicitur, quando de materia quapiam per discursum inter se conferunt disputantes. Quæ omnium antiquissima audit Schneidero methodus Sect. II. §. 2. Nec immeritò me iudice. Eam quippe quæ ob simplicitatem suam facilius carere posse præceptis intelligitur, ipsa ratio luadet pro vetustissima habendam. Quis enim credat, à difficilioribus differendi processibus initium fecisse veteres, facilioribus posteriori loco reservatis? Id verò vel amplius ex eo patet, quod autorem hujus methodi designare nemo possit: quale quid occurrere solet in rebus à memoria hominum longissimè remotis. Quousque autem ea duraverit, non æque incertum. Ad Socratis namque tempora viguisse indicio est Ciceronis locus lib. II. de finibus, quo Philosophi Socrate antiquiores commemorantur, quorum alter thesin in medium producere, alter perpetuo discursu eandem impugare consueverat. Vide Schneiderum §. VI. Sed id quidem, quod dixi, ad Socratis usque ætatem durasse methodum disputandi per continuam orationem, sic nolim quisquam capiat, tanquam si post ea tempora prorsus illa evanuerit, sed quod sola usque eò obtinuerit, quodque eà tempestate aliis disputari cœptum fuerit iisque commodioribus modis. Sic namque Tullius l. all. asserit, per continuum discursum disputandi modum ab antiquis Philosophis ad Academiam & ultra transiisse. Quid? quod hodieque unà cum celeberrima per syllogismos disputandi methodo inveteratâ Academicarum consuetudine eruditus frequentetur: quod non nisi rerum quotidianarum ignaros fugere posse existimo. Utrum verò præstet solam disputandi methodum per continuum discursum in eruditorum scholis retineri, proscripto ac rejecto qui per syllogismos instituitur modo, non dicturum, qui utriusque naturam cognitam habuerit atque perspectam planissimè confido; secus ac sentit C. Thomasius *Introd. ad Philos. aul. c. IX. §. XXIV.* seq. eumque secutus Schneiderus §. XXI.

Proxima huic est quæ quærendo juxta ac respondendo absolvitur *methodus disputandi per Dialogos*: circa cujus origines investigandas diversa sentiunt autores, aliis ad Pythagoram Sæmium, aliis ad Zenonem Eleatam, nonnullis ad Socratem, quibusdam denique ad

Platonem easdem referentibus. Conferſis Schneiderum Sect. III. §. III. Qua de re hæc fixa nobis ſedet animo ſententia, & Zenoni & Socrati (ab hoc enim Socratica dicitur) fortè & Pythagoræ uſurpatam fuiſſe methodum iſtam, à Platone verò expolitam & perfectam. Quò modò & intelligenda arbitramur illa Diogenis Laërtii Vitarum lib. III. qui eſt de Platone; *Primus hic (Plato) ut Phavorinus ait in octavo omnimoda hiſtoria, Dialogos introduxit.* Nam iſ ipſe, quem Laërtius memorat, Phavorinus alibi diſertè tradit Alexamenum Tejum Dialogos primum ſcripſiſſe. Lege Georg. Paſchium celebrem olim apud Kiſionenſes Profeſſorem in *Diſſ. de uſitata veterum exemplo ratione tradendi per Dialogos §. VIII.* qui paucis quoque de hac methodo agit in *de novis Inventis, quorum accuratiori cultui facem prætulit antiquitas, edit. Lipſ. MDCC. 4. p. 36. 37.* Quoad progreſſum methodi dialogiſticæ obſervat laudatus Schmidius p. 4. 5. ad Hebræos imò Sinenſes quoque eandem tranſiſſe. De prioribus res omninò certa eſt partim ex diſputationibus à Salvatore noſtro cum Judæis, Phariſæis & Sadducæis plus vice ſimplici inſtitutis, partim ex quibusdam locis in Talmude ſcriptisqve recentiorum Rabbīnorum reperiendis: quorum nonnulla legere eſt apud Wilhelmum Schickardum in *Bechinath Happeruſchim* p. 160. ſeq. & Jo. Lightfootum in *Horis Hebr. & Talm. ad Luc. II. 46. p. 743. ſeq. edit. Lipſ. MDCC. LXXV. 4.* De poſterioribus teſtatur Theoph. Spizelius *de re literaria Sinenſium* p. 31. quod conſueverint in Ethica creare Baccalaureos, Licentiatos & Doctores. Prius verò quam Candidatis iſti honorum tituli conferantur, rigorofum aliquod examen, orationibus & quæſtionibus de regno & republica ſcriptis atqve in cellula privata compositis conſtans, ſubeundum illis eſſe. Quin imò ad Latinos etiam methodum diſputandi dialogiſticam dimanariſſe ex Cicerone innotet, cuius varia exſtant ſcripta ad tormam Dialogi expreſſa, utpote *Dialogi tres de Oratore, Brutus ſeu de claris Oratoribus, de partitione Oratoris Dialogus, Academica Quæſtiones, de finibus honorum & malorum libri, Tuſculana Quæſtiones, libri de natura Deorum &c.* De quibus aliisque latius vide diſſerentem Paſchium §. XIV. ſeqq. Hodienum verò modus ille dialogiſticus, quanquam ad diſputandum non ineptus, ex omnibus Academiis, ſolâ Regiomontanâ exceptâ (in qua ejus commendandi ergò quadrigam Diſputationum, mihi non viſam, Anno 1681. 82. publicè propoſuit Paul. Rabe) ejectus cernitur, ubi ex adverſo *methodus diſputandi per Syllogiſmos* invaluit: de qua poſtremo
nunc

nunc loco aliquanto latius disserere apud animum constituimus.

Hujus vero disputandi methodi quis laudandus sit inventor tum constabit rectissime, quando ostensum fuerit, quis pro Logices, quæ in disciplina formam redacta est, autore habendus veniat. Nam ab hujus quæstionis decisione dependere illam eò majori confidentiâ asserimus, quò magis exploratæ veritatis est, artificium syllogisticum non nisi ex Logica delumi posse. Proinde cum hujus artis autorem & inventorem præcipuum statuendum esse Aristotelem alibi dixerimus, non diffesi interim, nonnullos Aristotelis antecessores hæc illave, ad eandem pertinentia tradidisse: non possumus non eidem summo methodi artifici hanc quoque vindicare gloriam, quod per Syllogismos disputandi processum rectissime excoluerit atque in artis formam primus redegerit. Quamquam nulli negemus, ante eundem non prius eam fuisse incognitam. Sic enim Plato (teste Alcinoo apud Franc. Patricium Tom. II. Discurs. peripat. lib. I. p. 188. seq.) aliiqve, ex veteribus Philosophis tum perfectis tum imperfectis argumentandi formis usi interdum leguntur. Non ergo audiendum arbitror Schneiderum Sect. XII. §. 3. falli, asserentem, *sapientiorum judicio fautores inprimis Aristotelis, inventionem methodi per Syllogismos eidem tribuentes.* Quod enim haud immeritò eò, quo diximus, modo illud fiat, eleganter ostendit Vossius lib. de natura & constit. Log. c. VIII. §. V. p. 30. in hæc verba: *Ut qui aliquot lapides & ligna ad domum contulit, non eo domum exstruxit: itidem nec artem conscripsisse propterea dicendus, qui utilia quadam præcepta tradiderit.* Scripserat Aristoteles lib. II. Sophist. Elench. c. VIII. De hac autem disserendi ratione nihil planè habuimus, quod aliis acceptum referamus, sed nos longo usu singula inquirendo mutuum temporis magno cum labore consumpsimus. Si ergo vobis considerantibus videatur hæc ars illis, quæ nos tradidimus, initiis satis accuratè explicata præ aliis disciplinis, quæ ex longa successione in tantam excreverunt amplitudinem, hæc profecto vestra sunt auditorumve partes, ut si qua prætermissa sint in tractatione hujus artis, ea nobis bona cum venia condonetis, & si qua rectè inventa, magnas eò nomine gratias habeatis. Unde qui Aristotelem artis per syllogismos disserendi autorem habeant, eos de ipsius ambitione non lais certos esse putat Schneiderus. Sed largior ambitiosè & jactanter ista à Philosopho prolata existimat posse eum, quem unius stare oportet assertio. Cui verò alia suppetunt testimonia, Alexandri puta, Philoponi, Theod. Logothetæ,

Tullii, inventionem illius artis nostro expressè tribuentium, ut videre est apud Vossium p. 30. 31. in aliam ingressurum esse mentem nullus ambigo.

De cætero quos nacta fuerit progressus methodus disputandi per syllogismos cognitu non est difficile. Præterquam enim quod in Lyceo Atheniensi ab Aristotelis successoribus juxta cum universa ejusdem philosophia dexterrimè culta fuit & exulta, post Christum natum Græcos præcipuè & Arabes eandem adhibuisse ex historiarum monumentis patet. Imò politiores quoque inter Judæos (qui quanta sint Aristotelem veneratione profecuti edoceat nos illorum nomine Moses Majmonides apud Jo. Ad. Schertzerum Programm. VI. p. 59. edit. Lips. MDCLXXIX. 8. *Scientia Aristotelis est perfectio & finis scientia hominum, excepto si influat in eos influxus divinus; adè ut perveniant ad excellentiam Prophetia, quâ non datur gradus superior*) eandem haud rarò usurpasse disputandi rationem scripta eorum ostendunt. Ita speciatim Abarbenel Comm. in Esa. XXXIV. disputaturus contra Schelomo Levi, ex Judæo Christianum & postea Episcopum Burgensem, hunc in modum scribit: *Accuratè autem mihi rem expendenti visum est antagonistam nostrum argumentum validissimum sic potuisse formare ad probandum Roman non esse Edom.* Postea producit argumentum tribus membris constans adjectis probationibus, & concludit: *hæc est summa argumenti & discursus ejus, ipse enim non ita formavit eum, ut ego feci.* Vide Schmidium l. c. p. 10. Recentiori ætate avorumqve adè imò & patrum nostrorum memoriâ quam fuerit eadem methodus fortunam experta supervacaneum duco exponere: cum neminem facile fugiat ubivis ferè locorum eruditum eam fuisse frequentatam. Et quanquam nullo non tempore exstiterint, qui in Aristotelis præcipuè Organo varia sine omni quandoqve fundamento desiderarunt, quædam pro lubitu ejicientes, quædam vicissim de suo inserentes, ipsam tamen per Syllogismos disputandi methodum non leguntur repudiasse. Nam quæ scripsit jam olim illustrissimus Angliæ Cancellarius Franc. Baco de Verulamio, Syllogistici artificii contemptum primore intuitu præ se terre visa, eaità exponit Schneiderus l. c. §. VIII. ut dicat, *reprehendere virum summum hoc ipso pessimum sui temporis morem, quo juvenes arti componendi Syllogismos tantum intenti de ipsarum rerum natura parum solliciti fuerant, ad stuporem semet eruditos esse persuasi, si in eo duntaxat artificie hospites*

hospites minime existarent. Secus moderni Novatores. Qui sicut
 integram Philosophiam Aristotelicam odio plusquam Vatiano
 prosequuntur, (cujus de causis eruditè disserit Rumpæus loco mox
 cit. Sect. I.) ita & artificium syllogisticum modis omnibus exagitant.
 Christianus quidem Thomæus, vir aliouvi celeberrimus, syllogismos
 tanquam inutile veritatis inveniendæ medium (*Introd. in Log. c. XII.*)
 & ludos pueriles (*in Prax. Log. dedic.*) repudiat magisque ad errores
 defendendum & stratioticè decertandum, quam ad repræsentandos
 aliis errores sufficientes esse (*ibid.*) audacter asserit. Jo. Wilh. Zie-
 roldus verò H. E. P. I. p. 213. Die Syllogismus-Kunst ist kein Mittel
 die Wahrheit zu finden. Et mox: Ist also die methode Aristotelis
 (per Syll. disputandi) nichts nütz/welche weder Er selber noch seine Nach-
 folger haben recht brauchen können / als bloß zur Beförderung des
 Reichs der Finsterniß. Et p. 331. artes syllogisticas nuncupat
 die krummen Wege des Satans / so die ganze Welt verführet.
 Sed hæc aliæque contra præstantissimum disputandi processum allata
 omnium cum applausu ante octennium ferè confutavit Excell. Justus
 West. Rumpæus in *Diff. de Philosophia Aristotelica recentioribus quibus-
 dam insensa & contra eos defensa, Sect. II. §. VIII.* Eo tamen non obstante
 biennio post Medicinæ mentis scriptor integram de Syllogismis
 doctrinam ad supervacua retulit. Quem sanè decuerat culti à se
 patris loco Speneri majoris facere effatum, quod de artificio per
 Syllogismos disputandi ut & universa Aristotelis Logica admodum
 honorificum extat *in Præfat. ad Theol. Myst. Balh. Kæpkenii §. VII.*
 Weil er (M. Bücher) Aristotelem so hoch hält / versichere Er
 sich / daß mieder selbe / wie Er mir auch wollen imputiren p. 191.
 (daß ich der Schluß-Künste als des Aristot-lichen Handwercks
 spotte) deswegen nicht zuwieder jemahls gewesen sey / weil er im
 disputiren accurat sey; sondern vielmehr daß einige/daß ich in dem Mann
 ankimire, ist allein seine Logic und was zum syllogismo und der
 demonstration gehöret/also gar / daß ich solches vor die Gabe halte/
 die GOTT vornemlich durch solches Werkzeug der Welt gege-
 ben habe.


Atque ita sentiendum omninò est de syllogistico disputandi
 processu, quem efficacissimum & divinitus consecratum Veritatis eruenda
 medium non ineptè dixeris. Lege Magnum Fechtium Coll. MSC.
 ad Königii Theol. pol. ejusque speciatim Præf. §. VII. Rectè Buddeus
Elem. Philos. Instrum. P. III. c. I. §. XVI p. 232. Licet & quandoque discursus
solus

solutio uti, quod in scriptis est frequentius, in Disputationibus autem vivâ voce instituendis magis videtur necessarium per Syllogismos procedere, NB. ut ita accuratius rationes concludendi mentibus disputantium obversentur. Neque tamen hoc ipso in disputationibus ab omni vult abstinere discursu Vir celeberrimus, quem, si obscuritatis quidpiam, ut fit, parere videatur, in formalem redigendum esse syllogismum suadent universi. De cœtero quæ ea de re quondam inter Balth. Meißnerum Theologum Wittenbergensem & Corn. Martini Philosophum Helmstädiensem magno fervore lis agitata fuit, formaliter in qualibet materia & ubique disputandum illo negante, hoc affirmante, nominalis tantum fuit, in diversa terminorum acceptione consistens, ceu demonstrat laudatus Fechtius *Hist. Coll. Emmending.* c. IV. §. VIII. p. 72. s. quem & vide in *Coll. MSC.* cit. §. IX. Adde Rumpæi *Dissertat. de methodo disputandi per syllogismos.* Gryphiswaldiæ 1704. hab. §. XI.

Sed plura ea de re dicere brevitatis studiosi non possumus, quibus sufficere ipsam cujus gratia hactenus disleruimus institutum tribus aperuisse. Sedet scilicet animo quorundam rogatu Collegium Disputatorium juxta methodum syllogisticam consentu amplissimi F. C. t. Philol. privatos intra parietes instituire. In quo hanc sequemur instituti rationem, ut præcepta de genuina disputandi methodo tum quæ Respondentem tum quæ Opponentem concernunt, sub primordia Collegii brevibus suppeditemus, ac deinceps ad *Hepradum Philosophico-Philologico-Historicarum* typis extricendarum ventilationem singulis mercurii & saturni diebus pedem promoveamus. Vestris autem ulibus cum hic consecratus sit unice labor, Comititones æstumatissimi! à Vobis eâ quæ fas est humanitate conrendo, ut crastina die ab hora XI. ad XII. ad me invisere deq; nonnullis instituto nostro inservituris colloqui necum velitis. Valet! E. Museo ipsa Dominica Jubilare

XI. Maj. A. O. R. M. DCC. X.





forent. Secus moderni Novatores. Qui licet
phiam Aristotelicam odio plusquam Vatiano
us de causis eruditè disserit Rumpæus loco mox
artificium tylogisticum modis omnibus exagitant.
Thomasius, vir alioqui celeberrimus, tylogifimos
eritatis inveniendæ medium (*Introd. in Log. c. XII.*)
in Prax. Log. dedic.) repudiat magisque ad errores
ratioticè decertandum, quam ad repræsentandos
ntes esse (*ibid.*) audacter asserit. Jo. Wilh. Zie-
I. p. 213. Die Syllogismus-Kunst ist kein Mittel
den. Et mox: Ist also die methode Aristotelis
ti nichts nütz/welche weder Er selber noch seine Nach-
brauchen können / als bloß zur Beförderung des
enif. Et p. 331. artes tylogisticas nuncupat
e des Satans / so die ganze Welt verführet.
tra præstantissimum disputandi processum allata
ulu ante octennium terè confutavit Excell. Justus
*Diff. de Philosophia Aristotelica recentioribus quibus
eos defensa, Sect. II. §. VIII.* Eo tamen non obstante
cinæ mentis scriptor integram de Syllogifmis
rvacua retulit. Quem sanè decuerat culti à se
majoris facere effatum, quod de artificio per
andi ut & univërfa Aristotelis Logica admodum
in Præfat. ad Theol. Myst. Balih. Kæpkenii §. VII.
cher) Aristotelem so hoch hält / versichere Er
be / wie Er mir auch wollen imputiren p. 191.
uß-Künste als des Aristotelischen Handwercks
cht zuwieder jemahls gewesen sey / weil er im
y; sondern vielmehr das einige/das ich in dem Manus
seine Logic und was zum tylogifmo und der
oret/also gar / daß ich solches vor die Gabe hatte/
mlich durch solches Werkzeug der Welt gege-
niendum omninò est de tylogistico disputandi
cissimum & divinitus consecratum Veritatis eruenda
dixeris. Lege Magnum Fechtium Coll. MSC.
ol. ejusque speciatim Præf. §. VII. Rectè Buddeus
P. III. c. l. j. XVI p. 232. Licet & quandoque discurfa
solus